

tom. 1. verb. conjugium, tit. 2. num. 7. Mauritius Lezana tom. 1. verb. virgin. num. 1. & seqq.

76. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 23. q. 1. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. virgin. diff. 7. num. 1. & seqq. Portellus in dub. Regular. verb. virgin. & Matrim. num. 1. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 33. q. 2. art. 1. Aquila in 4. dist. 33. q. 1. & seqq.

77. Ex Scholâ Eximiâ Arriaga tom. 2. disp. 42. sect. 2. subsect. 3. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 33. art. 2. q. 2. Gaudentius tom. 5. disp. 1. de virtutib. q. 8. dub. 2. Paulus Fuscus de visitat. lib. 2. cap. 18. num. 2. Gutierrez de Matrim. cap. 4. num. 6. Barbosa in Collect. Sess. 24. can. 10. Stephan. Vveymis in constit. 24. Trident. num. 8.

78. QUÆST. 8. An sit melius ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quàm Matrimonio jungi? De quo, *hic quest. 7.*

79. QUÆST. 9. An virginitas sit virtus, & in quo medio consistat? De quo, *hic quest. 7.*

80. QUÆST. 10. An præmium virginitati debitum sit tantum gaudium essentielle; an etiam simul aureola? De quo, Authores adducti quest. 7.

## DE PERSONIS LEGITIMIS.

### DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-QUARTÆ SYNOPSIS.

*Qui sunt connubiis apti, qua pacta secundum Legem, ullo aut nullo sint dirimenda die.*

*Sic incipit: Nunc superest.*

*Sic terminat: Fideque sustineat.*

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de multiplici lege, quâ in ordine ad Matrimonii usum antiqui utebantur Patres; sed in præsentî de eodem determinat Matrimonio, quantum ad causam materialem, sive personas ipsum contrahentes, postquam in antecedentibus de illius causâ formali, efficiente, & finali egerat: ergo hæc distinctio valdè consonat superiori.

Con-

2. Consequentia probatur: Prius est determinare de eo, quod spectat ad Matrimonium secundum se, quàm de eo, quod pertinet ad personas illud contrahentes; sed dum Magister in superiori distinctione de multiplici lege, quâ in ordine ad Matrimonii usum antiqui utebantur Patres; necnon & in aliis de causâ formali, efficiente, & finali agit, utique determinat de his, quæ pertinent ad Matrimonium secundum se: ergo modo in præsentî de ipso Matrimonio differere quantum ad personas illud contrahentes, erit rectam servare methodum.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ Magister detegit, quanam personæ sint legitimæ ad contrahendum Matrimonium. In secundâ verò declarat, qualiter Matrimonium possit propter frigiditatem, aut maleficium quandòque dissolvi. In tertiâ autem, & ultimâ expendit, qualiter amentes dum actû sunt in amentiam, non valeant Matrimonium contrahere.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hæc prima præfigitur thesis: *Ad Matrimonium contrahendum quædam personæ sunt plene legitime, quædam omnino illegitime, & quædam in medio constitutæ.* Hanc sub iisdem terminis proponit Magister in litterâ; cujus etiam singulas partes summatim enucleare tentat, dum præcisè legitimitatem, simulque personarum contrahentium Matrimonium illegitimitatem expendit.

5. Prima pars sic primò à Magistro probatur: Illæ personæ plene legitime arbitrantur ad contrahendum Matrimonium, quibus aliquod non obviat impedimentum; sed plures sunt personæ, quibus ad contrahendum Matrimonium aliquod non obviat impedimentum, ut sollicitè iustranti constabit: igitur ab contrahendum Matrimonium quædam personæ sunt plene legitime.

6. Secundò: Legitimitatem, aut illegitimitatem contrahendi Matrimonium, unice ex impedimentis statutis, aut proditis ab Ecclesiâ vendicamus: ergo dum nullum obviat impedimentum pro Matrimonii contractu, ibi haud dubiè legitimitas elucet; sed plures sunt personæ, quæ sub impedimentis statutis, aut proditis ab Ecclesiâ non comprehenduntur: igitur ad contrahendum Matrimonium plures legitime autumantur personæ.

7. Tertiò, id ipsum confirmat expressius Magister in litterâ: Dum personis contrahentibus Matrimonium non officit votum continentia, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, aut quodvis aliud impedimentum, reverâ ad illius contractionem plene legitime arbitrantur; sed quædam sunt personæ, quæ nec voto continentia, nec

or-

ordine sacro, nec cognatione, nec dispari cultu, nec conditione, aut quovis alio alligantur impedimento, ut ex se claret: igitur quod plures sint personæ plenè legitimæ ad contrahendum Matrimonium, hæcenus nullus ambigit.

8. Secundam similiter, sic eisdem ferè terminis primò detegit partem Magister: Illæ personæ sunt omninò illegitimæ ad contrahendum Matrimonium, quæ verè alicui subjacent impedimento; sed quædam sunt personæ, quæ verè alicui subjacent impedimento: igitur quædam arbitrantur personæ, quæ sunt omninò illegitimæ pro validâ Matrimonii contractione.

9. Minor probatur: Personæ illæ omninò illegitimæ censentur, quæ continentia voto, aut ordine sacro, aut dispari cultu, aut cognatione, sivè quovis alio astringuntur impedimento; sed plures sunt personæ, quæ uno, aut pluribus ex apposis alligantur impedimentis: ergo quædam pro Matrimonio contrahendo extant personæ omninò illegitimæ.

10. Secundò: Pro Matrimonii validâ contractione, æquè de personis legitimis, ac illegitimis discursandum est; sed quia plures extant personæ, quibus aliquod non obviat impedimentum, hæc omnes reverà autumantur plenè legitimæ ad contrahendum Matrimonium: ergo quia plures aliquibus subjacent impedimentis, hæc omnes erunt omninò illegitimæ ad præfatam Matrimonii contractionem.

11. Tertiam itidem suadet primò partem Magister: Personæ illæ in medio sunt constitutæ pro validâ Matrimonii contractione, quæ nec plenè sunt legitimæ, nec omninò illegitimæ, sed partim de utràque participant ratione; sed quædam sunt personæ, quæ nec plenè sunt legitimæ, nec omninò illegitimæ, sed utriusque rationis partim sunt participes: igitur ad contrahendum Matrimonium quædam sunt personæ in medio constitutæ.

12. Minor probatur: Personæ illæ, quibus officit frigiditas, aut dispar conditio, si ignoranter jungantur, cohabitare possunt, quibusdam adhibitis causis; & eisdem deficientibus dividi possunt; sed personæ, quæ sic dividi, aut cohabitare possunt, nec plenè sunt legitimæ, nec omninò illegitimæ, sed de utroque participant ordine: igitur quædam sunt personæ nec plenè legitimæ, nec omninò illegitimæ, sed in medio constitutæ pro validâ Matrimonii contractione.

13. Secundò: Ferè inter cuncta opposita extrema passim astruimus medium; sed quod personæ Matrimonium contrahentes, quædam sint plenè legitimæ, & quædam omninò illegitimæ, haud dubiè duo opposita censentur extrema: ergo astruere medium inter personas ple-

nè

nè legitimas; & omninò illegitimas ad contrahendum Matrimonium, non arbitratur rationi dissonum. Modò sic; sed quædam sunt personæ plenè legitimæ, sicut & quædam & aliæ omninò illegitimæ ad contrahendum Matrimonium: ergo in medio illarum quædam aliæ constitutæ manent. Et hæc de primâ sufficiant parte.

14. PRO SECUNDÆ verò partis indagine, hæc secunda statuitur thesis: *Frigidi, & maleficiati non solum separari possunt, verum & commanere si volunt.* Hanc firmat Magister dum resolvit, quod illi, qui frigiditatis causâ debitum reddere non possunt, separari valeant. Idipsum de maleficii impedimento, aliquibus adhibitis conditionibus censet.

15. Probatur primò ex Magno Gregorio Papâ dist. 33. q. 1. cap. *Requisisti*, sic in thesibus subsidium consulente: *Requisisti de his, qui ob causam frigida natura, dicunt se non posse invicem operam carni dantes, commiseri. Iste verò, si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem.* Sed ex eò quod vir possit uxorem, quasi sororem habere, dum non valet eâ uti pro uxore, non solum licet ei separari, verum & commanere si vult: ergo frigidi, & maleficiati possunt separari, aut simul permanere si volunt.

16. Secundò etiam ratione probatur: Si alter conjugum, ex his qui impotentia coeundi ex naturali frigidityte proveniente laborant, petat separationem, separandi sunt; si autem mutuò cohabitare velint, possunt, sed dum datur ipsis optio, ut possint separari, aut simul cohabitare, impedimentum ex naturali frigidityte ortum non cogit, ut conjuges necessariò separentur, aut commaneant: ergo quia frigidi, aut maleficiati non solum separari, verum & cohabitare si volunt, valent.

17. Insuper subdit Magister, quod si mulier ad alias voluerit transire nuptias, præmissis utriusque de impotentia viri juramento, jus datur mulieri ad contrahendum cum alio, viro autem omninò prohibeatur. Primò equidem pater: Nam impotentia perpetua coeundi, ex naturali frigidityte proveniens, impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: ergo dum vir huic subjacet impedimento, inhabilis omninò redditur, ut aliam possit ducere uxorem; secus mulier, quæ cum sit habilis, ad alias nuptias transire valet.

18. Secundò similiter claret: Dum impedimentum impotentia ex utràque provenit parte, uterque debet remanere inuuptus; cum tunc nulli detur jus ad contrahendum cum alio: ergo dum ex solius viri parte provenit impotentia impedimentum, hic tantum inuuptus remanere debet, at mulier si vult, alium validè ac licitè poterit

Tom. V.

F

du-

ducere virum, cum huic nullo tunc impedimento subja ceat.

19. Ulterius consentaneè iis etiam resolvit Magister, hunc ordinem penitus observandum fore, dum uterque conjugum idem fatetur; aut si vir juramento asserat se debitum reddidisse, mulier autem diffiteatur, tunc viro potius adhibenda est fides, eò quòd vir semper sit mulieris caput. Hoc etenim primò quadam Gratiani autoritate appositâ in litterâ expressè confirmat.

20. Secundo: Vir, eò quòd sit mulieris caput, ferè in omnibus mulieri præfertur; sed dum vir juramento negat, quod circa naturalem impotentiam coeundi, mulier etiam juramento attestatur, fidei veritate vir mulieri præfertur: ergo muliere ex unâ parte juramento affirmante, & viro etiam ex aliâ sub eodem negante impotentiam coeundi, semper viro præstanda est fides, cum sit mulieris caput, & in Matrimonii subsidium loquatur, quod maximè favorabile arbitratur.

21. Sed oppones: Dum vir petit divisionem, dicens se eam non cognovisse; mulier verò e contra asserat, se ab eo cognitam fuisse; nihilominus etsi vir sit mulieris caput, non est standum illius juramento: ergo pariter, dum mulier cum juramento affirmat impotentiam naturalem viri, & ille etiam eodem juramento negat, non erit fides adhibenda viro, sed mulieri, quanquam vir sit mulieris caput.

22. Respondetur concessò Antecedenti, negando Consequentiam. Quia, etsi vir mulieris sit caput, tamen viri juramento tunc non est standum, cum ipse contra Matrimonium agat; sicque multi proprias suas possent uxores relinquere. Sicut enim mulieri affirmanti viri impotentiam, ipso tamen negante, non illi adhibetur fides, eò quòd in Matrimonii dispendium loquatur; sic etiam non est standum juramento viri affirmantis se mulierem non cognovisse, dummodo illa dicat se ab illo esse cognitam, cum tunc vir agat, & loquatur in Matrimonii excidium, cui semper est auxilium præstandum. Hoc etenim perpetuò est firmiter tenendum; dum conjuges alias non suppeditant probationes.

23. Adhæc addit Magister, quòd si præfatum impotentiam impedimentum non sit à naturâ, sed à maleficio, si è per sortiaras, & maleficas concubitus non sequatur, hortandi sunt ii quibus illa eveniunt, ut orationibus, jejniis, Ecclesiæ exorcismis, & Sacramentis sanari procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt. Hoc etiam firmat assumptum Magister quadam Igmattii Remensis Episcopi decisione, quæ habetur dist. 33. quæst. 1. cap. *Si per sortiaras*, & transcribitur ab ipso in textûs litterâ.

24. Unde exponendus venit Magister de impotentia coeundi acci-

dentali perpetuâ proveniente ex maleficio, dum sustinet, conjuges, qui huic subjacent impedimento, separari valere. Quando verò impotentia hæc est temporalis, non impedit; præsumitur tamen esse temporalis, quando infra spatium trium annorum cohabitantes, & quam possunt operam dantes, si è per Ecclesiastica Sacramenta; si è per alia remedia sanari possunt. Si autem non sanantur aliquo remedio, ex tunc præsumitur esse perpetua. Hæc autem impotentia perpetua si Matrimonii contractionem præcedit, impedit, constituitque personam illegitimam; secus si contractionem sequatur, ut ex se liquet.

25. Sic summatim hanc sub syllogistica formâ perstringimus doctrinam: Id ipsum de impotentia coeundi perpetuâ proveniente à maleficio discursandum venit, ac de naturali impotentia coeundi perpetuâ; sed impotentia naturalis coeundi perpetua si sit ante Matrimonii contractionem, impedit; secus si post contractionem adveniat: ergo impotentia coeundi perpetua à maleficio proveniens præcedit Matrimonium, si ante illius contractionem adveniat; non verò si post contractionem contingat.

26. Confirmatur: Matrimonium inter legitimas personas per verba de presenti contractum, in nullo valet dissolvi casu, ita ut altero sospite, alter possit ad alias transire nuptias; ergo dum post Matrimonii contractionem advenit impotentia coeundi perpetua, hæc non erit sufficiens ad dirimendum Matrimonium, cum ejus indissolubile vinculum subsistat; bene verò si ante contractionem contingat; ac proinde temporalis impotentia coeundi, si è naturalis, si è ex maleficio nunquam Matrimonium dirimit, sed solum perpetua impotentia, dummodo Matrimonium antevertat. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

27. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis parte clara demonstratione, hæc tertia proponitur thesis: *Furiosi totaliter, nec non & amentes non possunt Matrimonium legaliter contrahere.* Illos enim totaliter furiosos, & amentes appellat Magister, qui in amentia suâ permanet. Hoc ergo probat assertum Magister aliquibus solum juris Pontificii fretus expressis decisionibus.

28. Probat primò ex Fabiano Papâ dist. 32. q. 7. cap. *Neque furiosi*, his verbis: *Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur.* Igitur furiosi, nec non & amentes Matrimonium valide contrahere non possunt, quamdiu in suâ actu persistunt irreparabili amentia.

29. Sed oppones: Conjuges, qui non separantur, Matrimonium contrahunt; sed qui Matrimonium contrahunt, possunt contrahere: cum

de actu ad potentiam teneat illatio: ergo si Fabianus determinat, quòd si matrimonium jam fuerit contractum, conjuges non separentur, poterunt furiosi, & amentes validè Matrimonium contrahere.

30. Respondet Seraphicus Doctor, quòd furiosus in actu non potest contrahere Matrimonium nec de jure, nec de facto; furiosus verò in habitu, quanvis non possit de jure contrahere, quia prolem nescit educare; tamen si sit sanæ mentis actu, potest de facto contrahere, & si contrahit, contractum est. Undè negatio prima Fabiani non privat potentiam simpliciter, sed solum de jure; vel si eam privaret simpliciter, foret expollendus de furia in actu, non autem de furiosis in habitu, & jam sanæ mentis in actu, qui possunt contrahere saltem de facto.

31. Secundò, etiam ex aliâ Nicolai Papæ decisione ibid. cap. *Hi, qui Matrimonium*, probat Magister: *Hi, qui Matrimonium sani contraxerunt, & unus ex duobus, vel ambobus amentia, vel furor acciſſerit, ob hanc infirmitatem talium conjugia solvi non possunt.* Ergo dum amentia Matrimonii contractionem antevētit, persistuntque in illâ ambo conjuges, aut unus ex ipsis, non possunt validè Matrimonium perficere; si verò infirmitas adveniat post contractionem, tenet conjugium, dissolvique nullatenus potest.

32. Tertio sic amplius suaderi poterat intentum: Illi validè ac legaliter non possunt Matrimonium contrahere, qui juxta leges conditas non contrahunt; sed extant leges à Fabiano, & Nicolao Papâ, de Matrimonio validè non contrahendo à furiosis, & amentibus, conditâ dum actu suâ in amentia persistunt; igitur amentes, & furiosi validè ac legaliter non possunt Matrimonium contrahere.

33. Quartò: Matrimonium solum per mutuum contrahentium consensum per verba de præſenti expressum, validè perficitur; sed consensus est actus ratione utentium: ergo cum furiosi, & amentes dum actu suâ laborant vacordia, non valeant ratione uti, non poterunt verum ac validum per verba de præſenti consensum præſtare; ac proinde nec validum Matrimonium contrahere.

34. Quintò: Qui inhabilis habetur ut in judicio appareat, possitque testificari, reverâ ad contractum perficiendum etiam inhabilis censetur; sed furiosi, & amentes sunt inhabiles ex utroque jure, ut in judicio appareant, possintque testificari: ergo & ut valeant contractum perficere ratione sui corporis; sed dum præſatum non possunt perficere contractum, non valet Matrimonium contrahere; ergo.

35. Sextò: Furiosi, amentesque in suis operationibus nec merentur, nec demerentur, eò quòd sint rationis expertes; sed omnis qui Sacra-

men-

mentum suscipit, profecto ad meritum, vel demeritum, sive digne, aut indignè suscipit: ergo furiosi, & amentes non poterunt Sacramentum suscipere; & præſertim Matrimonii Sacramentum, cum ejus susceptio unice dependeat à libero, & spontaneo voluntatis usu, quò furiosi, & amentes privantur, dum sua in amentia detinentur.

36. Oppones primò. Finis Matrimonii, unumque illius bonum est prolis procreatio ad cultum Dei: ergo, qui habilis potensque ad hoc arbitratur assumptum, poterit validè ac legaliter Matrimonium contrahere; sed furiosi, & amentes, etiam dum in suâ degunt amentia, possunt procreare prolem: ergo & Matrimonium validè ac legaliter contrahere.

37. Respondetur negando Minorem & Consequentiam. Quia furiosi, & amentes dum in suâ persistunt amentia non possunt procreare prolem; quia nec sciunt, quis sit Dei cultus, nec etiam filios debite ac religiosè educare. Cæterum, etsi totum id caperent, adhuc Matrimonium validè contrahere non possent, cum in hoc non consistat tota ac integra Matrimonii essentia.

38. Oppones secundò: Furiosi, & amentes possunt validè, & legaliter baptizari, Sacramentumque baptismi recipere absque proprio ipsorum consensu: ergo & consimili ratione poterunt Matrimonium contrahere, & Sacramentum recipere, quanvis proprium non præſent consensum; cum suppar sit ratio pro utroque casu.

39. Respondetur concessò Antecedenti, negando Consequentiam, & simile. Nam baptismi Sacramentum principaliter extat institutum in originalis peccati levamen; quòd dum per alium sit personaliter contractum, utpote per Adamum, sufficit alienus consensus, & non requiritur necessariò proprius, ut quis validè ac legaliter baptizati possit; sed cùs in validâ Matrimonii contractione, ubi indispensabiliter consensus per verba de præſenti expressus exquiritur, quem, in actuali suâ amentia constituti furiosi, nequaquam præſtare possunt.

40. Pro distinctionis termino duo subjungit Magister. Primò recenset poenas à jure statutas, & quibus subjacet, qui carnaliter cognovit sororem suæ uxoris. Hanc ex Aureliano Concilio, cap. *Qui dormierit*, adducit Magister autoritatem in litterâ: *Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipsis habeat; nec ipsi adulteri unquam in conjugio copulentur.* Ergo cum sorore uxoris defunctæ non solum irritum est Matrimonium; verum si sororem cognovit ante Matrimonii contractionem, redditur nullum ratione affinitatis, nequitque cum aliquâ ex his contrahere; imò nec cum quavis aliâ, quantum est de rigore juris.

Aliam

41. Aliam ex eodem capite proponit Magister canonicam legem; his verbis: *Nec propria uxori licet sibi reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam, furorem eius cognoscendo.* Ergo qui fororem uxoris suae carnaliter cognovit, nequit uxori propriae petenti debitum, licite reddere. Verum hæc proposito merito à Parisiensibus expungitur, eò quòd expressè aduersetur juri, cap. *discretionem*, & rationi; quia non potuit peccatum viri præjudicare uxori, nisi fuerit conscia sceleris. Tamen immunitatem à censurâ Magistrum passim Doctores adducunt, affirmantes fuisse Amanuentis errorem, qui apposuit verbum *reddere*, pro *petere*. Nonnulla alia pœnarum genera statuta ab Ecclesiâ contra eos, qui in adulterio deprehendantur, continentur in textu.

42. Secundo addit Magister, quòd non licet viro uxorem dimmittere, nec e converso, ob aliquam infirmitatem, aut maculam corporalem; sed magis alter alteri debet prævidere subsidia. Hoc enim probat egregio Augustini testimonio lib. de Serm. Dom. in monte cap. 29. dicente: *Si uxorem quis habeat sterilem, sive deformem corpore, vel debilem membris, vel cacam, vel claudam, &c. pro societate, fideque sustineat.* Sed dum pro societate & fide Matrimonii tenetur quis sustinere conjugem iis infirmitatibus laborantem, non licet ipsi illam dimmittere: ergo nulla infirmitas, aut corporalis deformitas valet compellere conjugem ad dissolvendum Matrimonium. Et hæc de tertiâ & ultimâ distinctionis parte sufficiant.

### Q U Æ S T I O N E S

43. QUÆSTIO. I. An, & quâ impotentia dirimat Matrimonium? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 34. q. 5. art. 2. Reding tom. 8. q. 13. art. 2. Controv. I. Calsianus à S. Eliâ tom. 1. verb. *Matrim.* cap. 21. §. 10. Contenson tom. 2. lib. II. p. 4. dissert. 4. cap. 2. specul. I. Anton. à Spirit. S. tom. I. tract. II. disp. 7. sect. 13. Salmant. tom. 2. tract. 9. cap. 12. punct. II. Raynerius de Pisis verb. *impotentia*, tit. II. num. I. & seqq. Maurit. Lezana tom. I. verb. *impotentia*, num. I. & seqq.

44. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 34. q. I. Mastrius in 4. disp. 7. q. 15. art. I. Brancatus disp. 23. art. 10. Hiquæus in 4. dist. 34. art. I. & seqq. Macedo de Clavib. tract. 6. de *Matrim.* cap. 13. Cotonijs tom. I. lib. 5. Controv. I. cap. 2. num. 139. Frassen tom. 2. disp. ult. art. 3. §. 10. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. q. ult. Poncius tract. II. disp. 49. q. 13. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. 10. sup. ult. q. ult. p. 10.

45. Ex Scholâ Eximiâ Carleton tom. 2. disp. 104. sect. I. Dicastillo

llo tom. 3. tract. 10. disp. 8. dub. 42. & seqq. Gasp. Hurtado disp. 22. diff. 1. 2. & 3. Tambur. tom. 2. lib. 8. cap. 13. §. I. & seqq. Mart. Perez disp. 37. sect. 3. num. 5. Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 11. Gobat tract. 9. num. 415. Sanchez lib. 7. de *Matrim.* disp. 92. & 107.

46. Ex alijs D. Bonaventura in 4. dist. 34. art. 2. q. I. Basilius Ponzze lib. 7. cap. 60. Palao disp. 4. punct. 14. num. I. & seqq. Bassao verb. *Matrim.* §. 12. num. 50. Gavardi tom. 6. q. 3. de *Matrim.* art. 6. Diana 4. p. tract. 4. resol. 75. Leander de *Impedim.* imponet. 9. I. & seqq.

47. QUÆST. 2. Quamnam sint personæ legitimæ ad contrahendum Matrimonium? De quo, Authores q. I. allegati.

48. QUÆST. 3. An amentes, ebrii, & eunuchi possint Matrimonium contrahere? De quo, hic quest. I.

49. QUÆST. 4. An Matrimonium possit quandoque per frigiditatem dissolvi? De quo, hic quest. I.

50. QUÆST. 5. An Pontifex, aut Ecclesia possit statuere impedimenta Matrimonium dirimentia? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 39. q. unic. art. I. Conet tom. 5. tract. 8. disp. 7. art. I. Reding tom. 8. q. 8. art. I. Controv. I. & q. 8. art. I. Contenson tom. 2. lib. II. p. 4. dissert. 4. cap. 2. specul. 3. Calsianus à Sancto Eliâ tom. 1. verb. *Impedim.* cap. I. §. I. & seqq.

51. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 33. q. I. & 3. Mastrius in 4. disp. 7. q. 11. art. I. Macedo de Clavib. tract. 6. de *Matrim.* cap. 9. Rodriguez tom. I. Summ. cap. 130. conclus. I. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. I. Poncius tract. II. disp. 49. q. 8. Castillent. in *Polyanth.* Seraph. verb. *impedim.* diff. I. num. I. & seqq.

52. Ex Scholâ Eximiâ Dicastillo tom. 3. tract. 10. disp. 7. dub. 2. Valentia tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. I. Mart. Perez disp. 21. sect. 5. Carleton tom. 2. disp. 104. sect. I. Sanchez lib. 7. disp. 3. num. 5. Bellarm. lib. I. de *Matrim.* cap. 32. Henriquez lib. 12. cap. I. Coninch disp. 30. num. 5. Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. I. Palao tom. 15. disp. 4. punct. I. Platelus tom. 5. cap. 7. §. 7. p. 7.

53. Ex alijs D. Bonaventura in 4. dist. 34. q. 3. art. 2. Leander tom. 2. tract. 9. disp. 9. q. I. Bonacina de *Matrim.* q. 3. punct. I. num. 5. Gavardi tom. 6. q. 3. de *Matrim.* art. I. Bassao verb. *Matrim.* num. 2. & 3. Diana 5. p. resol. 15. & 7. p. tract. I. resol. 23.

54. QUÆST. 6. An Princeps possit statuere impedimenta dirimentia Matrimonium? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 39. q. unic. art. I. Contenson tom. 2. lib. II. p. 4. dissert. 4. cap. 2. specul. 3. Anton. à Spirit. S. tom. I. tract. II. disp. 7. sect. I. Reding tom. 8. q. 8. art.

art. 1. *Conirod.* 2. *Gonet tom. 5. tract. 8. disp. 7. art. 1.* Casianus à S. Eliâ tom. 1. *verb. impedimentum, cap. 1. §. 2. & seqq.* Raynerius de Piffis tom. 1. *verb. imped. tit. 1. num. 1.*

55. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. *dist. 33. q. 1. & seqq.* Mastrius in 4. *disp. 7. q. 11. art. 1. & 2.* Macedo de *Clavib tract. 6. de Matrim. cap. 9.* Boscus tom. 6. *disp. 12. sect. 1.* Durand tom. 4. *tract. 5. disp. ult. q. ult.* Poncius tract. 11. *disp. 49. q. 8.* Castillentus in *Polyanth. Seraph. verb. impedim. diff. 1. num. 1. & seqq.*

56. Ex Scholâ Eximiâ Carleton tom. 2. *disp. 104. sect. 1.* Layman tract. 10. p. 4. *cap. 1.* Henriquez lib. 11. *cap. 1.* Palao tom. 5. *disp. 4. punct. 1. num. 3.* Valentia tom. 4. *disp. 10. q. 5. punct. 1.* Dicastillo tom. 3. *tract. 10. disp. 7. dub. 2.* Platelus tom. 5. *cap. 7. §. 7.* Sanchez lib. 7. *de Matrim. disp. 3. num. 7.* Mart. Perez de *Matrim. disp. 21. sect. 5. & seqq.* Bellarm. lib. 1. *de Matrim. cap. 32. & 33.*

57. Ex aliis D. Bonaventura in 4. *dist. 42. q. 2. art. 2.* Basilius Ponce lib. 6. *cap. 2. num. 3.* Gayardi tom. 6. *q. 3. de Matrim. art. 1.* Bassao *verb. Matrim. num. 3.* Diana 5. p. *resol. 15. & p. 7. tract. 1. resol. 23.* Leander tom. 2. *tract. 9. q. 1.* Bonacina de *Matrim. q. 3. & 4. punct. 1. & seqq.*

58. QUEST. 7. An, & quomodo incestus dirimat Matrimonium? De quo, *dist. 41. q. 11. §. 3.*

59. QUEST. 8. An divortium sit licitum, & quas ob causas? De quo *dist. 33. q. 4.*

60. QUEST. 9. An adulterium sit semper causa sufficiens ad divortium? De quo, *dist. 33. q. 6.*

61. QUEST. 10. An possint, ac debeant conjuges divortari? De quo, *dist. 33. q. 5.*

62. QUEST. 11. An divortium differat à repudio? De quo, *dist. 33. quest. 4.*

63. QUEST. 12. An, & cur magis ex fornicatione, quam ex peccato alio divortium fieri debeat? De quo, *dist. 33. q. 6.*

64. QUEST. 13. Ad quorum relationem, & testificationem divortium fieri debeat? De quo, *dist. 33. q. 4.*

65. QUEST. 14. An Princeps possit statere impedimentum dirimendi Matrimonium? Ex Angelica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33.*

66. An Princeps possit statere impedimentum dirimendi Matrimonium? Ex Angelica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33.*

67. An Princeps possit statere impedimentum dirimendi Matrimonium? Ex Angelica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33.*

68. An Princeps possit statere impedimentum dirimendi Matrimonium? Ex Angelica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33.*

69. An Princeps possit statere impedimentum dirimendi Matrimonium? Ex Angelica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33.*

70. An Princeps possit statere impedimentum dirimendi Matrimonium? Ex Angelica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33.*

## DE DIVORTIO EX ADULTERIO SEQUUTO. DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-QUINTÆ SYNOPSIS.

*Non mœcha mœchum, si vult, tamen absque viri spe,*

*Vivo illo alterius, mittere jura sinunt.*

*Sic incipit: Hoc etiam tenendum est.*

*Sic definit: Prohibentur copulari.*

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Matrimonii impotentia, & legitimitate contrahentium, quæ ipsius matrimonialem actum impedit; sed in præsentî determinat de separatione tori, fornicationis causâ, sive divortio ex ipsâ proveniente, quæ etiam matrimonialem actum retardat, vinculo Matrimonii durante: igitur hæc distinctio consonat superiori.

2. Consequentia probatur: Divortium sive tori separatio, causâ fornicationis, necessariò præsupponit Matrimonium contractum; cum non valeant separari à toro, qui conjugali vinculo non astringuntur: ergo prius agendum erit de impotentia, & legitimitate contrahentium Matrimonium, ut hoc stabiliatur, aut infirmetur, quàm de illius divortio sive tori separatione, fornicationis causâ; sed sic processit Magister: ergo aptè cum antecedenti connectitur hæc distinctio.

3. Dividitur præsens distinctio in duas solummodò, ac præcipuas partes. In quarum primâ ostendit Magister, qualiter fornicationis merito uterque conjugum possit dimittere alium. In secundâ verò subdit, nullum posse in Matrimonium ducere, quam turpiter polluit in adulterio.

4. **P**RO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hoc primum præfigitur theoremata: *Ersi fornicationis causa vir dimiserit uxorem, alteram tamen ea vivente non valet ducere.* Quod expressè statuit Magister, dum sustinet in litterâ, quod sicut licet viro fornicationis causâ dimittere uxorem; ita eadem de causâ licet uxori dimittere virum.

5. Hoc etenim primò probat Magister ex Hieronymo lib. de mor-  
Tom. V. G te